PAVLI BOMBINI
E SOCIETATE IESV
ORATIO
IN FVNERE COSMI II.
MAGNI ETRVRIÆ DVCIS IV.

Habita Mantuæ in æde S. BARBARAE

SERENISSIMO FERDINANDO

MANTVAE, ac Montisferrati DVCE

funus magnificentissimum celebrante.




MANTVÆ, Ex Typographia Fratrum de Osanna, Ducalium Impressorum. CIↃ.IↃC.XXI. *Superiorum permissu.*

A. S. Gio Zanolin



ORATIO.



VCTVOSVM hoc principibus viris, anni labentis initium, quo ab ipſo Chriſtianæ Reipublicæ vertice orta clades, latius quam boni omnes voluiſſent, per illuſtria ſublimium virorum capita peruagata eſt; domeſtico tandem, te quoque vulnere, clarorum, & parens, & altrix ingeniorum Mantua, funeſtauit. Neque enim hunc, inter domeſticos luctus tuos, numerare, pro tua ſapientia, recuſabis, quo COSMVM MEDICEM, Magnum Etruriæ Ducem, immatura morte, tibi, Italiæ, orbi terrarum ereptum, veriſſimis lacrymis jam diù deflere perſeueras. Etenim, ſi, quæ naturæ lex eſt, Regum, rectorumque neceſſitudines, & caritates, populi etiam, ciuiumque reliquorum caritates, & neceſſitudines exiſtimandæ ſunt: nullum vobis Mantuani proceres, & ciues domeſticum magis funus, ac proprium vnquam fuerit, quam quo MEDICEÆ ſtirpis, pene dixi, Reges, lugetis extinctos, è qua ſtirpe vobis Reges ſunt:

Scilicet, & quos nunc imperantes colitis Principes, ex illo genere habetis: & quos imperaturos, haud ſcio optetis ne magis, an ſperetis; eadem origine prodituros, præſcripta iam pridem huic imperio, quædam, quaſi connubialis, à Deo lex pollicetur. Ita enim prægreſſis ætatibus receptum, ita hac noſtra confirmatum video; vt commodaſſe ad ſpeciem, & pompam præclariſſimæ gentes aliæ; vna MEDICEA donaſſe ad perennitatem, & ſtirpem virgines regias, noſtrorum Principum coniugijs, videantur. Eſt ergo non humanitatis modo, vt in hominem: non religionis, vt in piè defunctum: ſed pietatis, vt in veſtrorum Ducum partem, & ſanguinem: quod in COSMVM confertis Chriſtianæ parentationis officium. Quàm ſanè parentationem, reliquo cultu magnificentiſſimam, & tuo excelſo iſto animo digniſſimam, Sereniſſime FERDINANDE, ſi oratore etiam, qui cæteræ magnificentiæ reſponderet, ornare voluiſſes: non eſſet cur quicquam non auguſtum, funebri huic pompæ interſperſum eſſe quereteris. Qua in re, non voluntate tu quidem, ſed, quod nimiæ beneuolentiæ peccatum eſt frequens, æſtimatione peccaſti. Dum enim me, pluris quam æquum eſt, facis; meamque, ſi qua eſt, dicendi facultatem inter prima regiæ tuæ inſtrumenta ponis; ornaturum te, amantiſſimi Ducis funus, mea oratione credidiſti; cuius tamen exilitate reliqua, quæ ſunt ampliſſima, vel te ipſo iudice, deterentur. Verum vt mea qualiſcumque vox, tuis tandem auribus, imperioq; ſeruiat: dicam de COSMO MEDICE Magno Etruriæ Duce pauca, ſed quibus omnia contineri regiarum laudum ornamenta puto. Eaque non aliunde, quam ex ipſa Mediceorum Principum appellatione, ſeu mauultis titulo, petam. Hoc enim vnum, tota hac oratione

agam,

agam, vt Cosmum Medicem magnum Etruriæ Ducem, vere, planeque, Magnum Ducem fuisse, contendam. Et quidem, quanam ille re Magnus non fuit? Genere ne; an imperio? Priuatis ne virtutibus, an publicis? Singula, si libet, videamus. Genus illi quidem Mediceum fuit, & Lotharingum. quæ qui claritudinis nomina, non gentis, esse non videt; hunc ego nihil videre, teste terrarum orbe, conuincam. Quid enim hominum generi notius, quam ex MEDICEA gente Reges nasci: Lotharingam ex Regibus? Enumerate Galliarum Reges quatuor. Franciscum, Carolum, Henricum, qui fuere: Ludouicum, qui est, bonoque publico diù erit: Mediceorum genus per Reges numerabitis. Reginas in censum mittite. Catharinam, Mariam, Isabellas duas. Mediceam stirpem per Reginas numerastis. Et eo quidem illas conspectiores, quod amplissimi illius regni finibus non contentæ; pomœria Mediceæ magnitudinis vltra Calpen, & inaccessa Oceani claustra protulere. Galliæ quippe Reginas ita duas, Catharinam, & Mariam ex eo genere videtis: vt totidem Isabellas Hispaniæ, regnatrici scilicet illi, nouorum etiam mundorum, terræ impositas, indidem spectetis. Vt iam Christianum orbem vniuersum, qui duplici illo Galliæ, Hispaniæque cardine vertitur, Mediceæ Reginæ versare, quasi fatorum generis humani fusum, heroico sane lanificio, videantur. Videtis rerum magnitudine obrui orationem meam. Qui enim Reginas ex Mediceorum gente tantum quatuor in censum misi; id egi, vt præsignia in maximis notarem, maxima omitterem. Quis enim nescit etiam Margaritam Nauarræ Reginam ex Mediceis olim ortam? Lotharingos Duces ex Mediceæ Reginæ sobole manasse? Christinam Subalpino-

rum,

rum, Inalpinorumque Principem; recens ex Mediceis prodijsse? Ex eodemque genere, tamquam ex Regum seminario, sibi Principes quæsisse Ferrariam, Vrbinum, Parmam, nam de Mantua, propria scilicet pene Mediceorum sede, non loquor. Perinde quasi regnare parum salubriter posse censeantur, quibus Medicæ istæ manus non accesserint. Hæc pauca de genere. de imperio pauciora. quod in Italiæ, terrarum principis umbilico, quasi corculum orbis terræ, situm; regni nomen, quod alias in gentes propagauit, si sibi non assumpsit; modestiæ est, hominum nihil ex ea gloria sibi decerpentium, quam alijs conferant. Quod ne oratorie dictum magis aliquis credat esse, quam vere: reuocate in memoriam, quod frequenter arbitror, audistis. Duodecim olim, nobilissimo illo Italiæ tractu, regna numerata, ad splendorem magnificentissima, copiosissima ad opulentiam. Vt ipsam quoque Romanæ potentiæ speciem, & externam pompæ quasi faciem, ad Etrusci imitationem splendoris conformotam, veteres prodiderint. Sed hæc nimis fortasse antiqua. Illa recentia. Patrum, auorumque memoria, Respublicas idem clarissimus Italiæ oculus comprehendit insignes tres: Senensem, Pisanam, Florentinam. Quarum eam fuisse autoritatem, & amplitudinem accepimus, vt nihil sine earum armis potens, nihil sine consilijs prudens, apud maiores nostros haberetur. Neque Europam modo, earum aliqua, Asiam quoque terrore, & magnitudine sui nominis quatefecit. Vt mirandum sit fuisse aliquando, qui Magni Ducis appellationem Etruriæ Principibus nimiam iudicarit; cum hoc videatur Etruriæ proprium, vt Magni, & titulum, & rem, quocumque se se infert, ferat. Verum de externis hisce Cosmi ornamentis non

addam

addam plura : ne aduentitijs huiusmodi subsidijs, quasi cothurnis, & lacinioso syrmate, quod Choragi in Orchestra faciunt, extollere tragicam personam voluisse videar. Ad illa propero, quæ animo insita, interioris, veriorisque magnitudinis imaginem, etiam sapientum oculis exhibent. Virtutes loquor, seù priuatas, vt initio proposui, seù publicas: quibus enumerandis, & Cosmus laudari queat, & reliqui omnes, non modo Principum vulgus erudiri, (nam & Principes suum vulgus habent). Etenim mihi in Cosmum intuenti illud accidit, vt exemplar, tum viri, tum Principis ad recti normam exquisiti: hoc est hominis, tum priuatim sibi, tum publice alijs optimi, in vno illo mihi videar intueri. Et vero, vt quæ priuatam vitam attingunt, prius breuissime exponam: quid in laudatissimo ciue, seueri illi, fictarum ad imaginem virtutis, ciuitatum artifices, animo vnquam comprehendere, & cogitatione informare potuerunt, quod in Cosmo non viderimus? Dicam paucis, quæ illi multis disputant. Quærunt principio in suo ille ciue indolem in pueritia, ad moderatorum obsequium lentam, & sequacem, quæq; fingentis ducatur manu, non trahatur. Quærunt in adolescentia modestiam, & inimicam proprijs lubricæ ætatis illius vitijs verecundiam. Quærunt in ætate confirmata recti amorem, & continentiam. Deus immortalis, Cosmum expressere dum virtutem exprimere se putant. Quid enim puero illo facilius, & obsequentius? vt ceræ eum nomine prudens eius moderator sæpenumero appellaret. Quid illo adolescente modestius? Quid verecundius? Testes habeo locupletes, illum ducta etiam iam vxore (duxit enim, vt scitis, adolescens) si quid forte audisset minus caste dictum; non minus prompte

erubuisse,

erubuisse, quam virgines soleant, seuera educatione, nihil magis vereri edoctæ, quam quo matres fiant. Quid denique ætate iam confirmata eodem illo continentius? Deum immortalem. Dicam ne, quod tacere nefas est auditores? Dicam. Neque vereor apud vos offensionem ex singulari eius viri laude, quem laudatissimum omnes vultis. Ea temperantia, ea castimonia Cosmus fuit, vt regij tori fidem, nulla vnquam alienæ contrectatione pudicitiæ violauerit. O Ducem vere magnum. Hoc est in magna voluptatum licentia, magnum dominatorem sui. Nox, vinum, adolescentia, persuasere flagitium: est opinor apud veterum nescioquem. Eaque ratione eleuari satis impudicitiæ crimen magistri vitæ communis Comici poëtæ arbitrantur; quod tres illæ voluptatum illecebræ blandissimæ, acres habere ad animum frangendum vires existimantur. Neque nimium exagitandus videatur, qui nimijs earum viribus non nimis repugnarit. Quid de imperio, egregij morum doctores, dicerent? In quo cum omnia liceant; si aliqua fortasse placent; ea etiam decere viros principes, vulgo existimantur. Magna nimirum res est, hominem legibus maiorem lege regi, & in magna rerum omnium licentia, nihil sibi licere, præter magnam rerum omnium abstinentiam, existimare. O te felicissimum, Etruriæ Ducem vere Magnum, Cosme. Cui inter Principes vni eximie contigit, vt tu tibi lex, tu tibi viuendi norma esses, & regula. Eant nunc delicatuli isti voluptatum asseclæ. Excusent delicias, otium, ætatem, æquales, copiæ denique circumfluentis insidias. Duriorum hominum virtutem, esse temperantiam clamitent. Cum omnia pro se dixerint; Cosmi, Magni Etruriæ Ducis, exemplo iugulantur. Sed hæc præludia magnarum

Terent. in adelph.

virtutum

virtutum ſunt, quibus ille vere magnus fuit. Publicas virtutes dico, & Principis proprias, cum virtutes magnas dico. Quas equidem, late, per infinita fuſas genera, quoniam temporis premimur anguſtijs, commode, vnica magnitudinis animi laude complectar. Quæ autem oratio eius magnitudinem animi adæquet, qua terrarum orbem vniuerſum incredibili mentis excelſitate complexus eſt? Circumſpicite quæſo vos plagas terrarum omnes, qua ſe illa animi magnitudo diffudit. Germaniam ad Septentriones. Africam, & immenſam illam barbariem, ad Auſtrum. Galliam exiguo ad occidentem Solem flexu. Hiſpanias in ipſo Solis occidentis cardine. Aſiam in oriente contemplamini. In quam, ex his terrarum plagis, non ingenti exuperantis animi amplitudine inuaſit? Germaniam, Galliam, Hiſpaniam, beneficijs, & affinitatibus: Africam, Aſiamq; terrore armorum, & claſſium compleuit. Nam de Italia quid dicam? Cuius ille nimis infauſtos motus ſemper execratus; ſæpe compeſcuit; conſilijs prudens, auxilijs expeditus, nullis impendijs deterritus; nulla diuturnitate fatigatus. Ferdinando quidem Cæſari leuiro, perduellium armis exercito, ſubmiſit auxilia. Quam oportune? Quam prompte? Quam liberaliter? Quam feliciter? Habuit enim hoc quoque eius magnitudo, vt cum nihil fortunæ committeret, omnia tamen faceret fortunate. Nollem obductum vulnus, auditores, vngue recordationis refricare. Sed vt grati animi ſenſus extet, morſiunculam doloris aliquam feramus. Tenetis memoria funeſtum illum annum, quo repentinus è Subalpinis bellorum turbo publicam quietem, cum bonorum omnium acerbiſſimo dolore concuſſit. Qualis ille eo tempore in nos, & quantus fuit?

 Vidiſtis

Vidiſtis effuſum repente amantiſſime ærarium. Vidiſtis florentiſſimas copias momento conſcriptas. Vidiſtis Franciſcum Mediceum, ſpei clariſſimæ adoleſcentem, fratrem, eorum ductorem, belli fluctibus immiſſum: cum mallet ſuorum ſalutem periclitari Dux optimus, quam fidem ſuam. Et hæc ille omnia ad pacis conſilia, vere pacator orbis Chriſtiani dirigebat. Vt mihi eo iuſtius, quo incruentius, Ducis Magni, nomen meruiſſe videatur. Sed latius omnino præclariſſimæ eius curæ proceſſere. Inter duos illos Regum Reges, Gallum loquor, & Hiſpanum, exorta aliquando diſſidia, quid cladium hominum generi intulerint, nimis alte inuſta incendij, ſuperiore ſæculo excitati, veſtigia teſtantur. Periculum erat ne hæc eadem, rediuiua aliqua Erynnis, iterum inflammaret. Prouidit, qua erat ſagacitate, Coſmus, orbis terræ periculum, & auertit. Nuptias inter puerum Gallorum Regem, Hiſpanique Regis filiam, æternæ, vti ſperamus, pacis autoramentum, auſpicatiſſimus pronubus conciliauit. O aurei vere nodi architectum. O cathenarum fabrum, quibus non minus regiorum coniugum animi, quam bellorum, diſcordiarumque furores, vinciantur. Neque hic earum curarum finis. Erupit maleuolentia paucorum, & quodam ſubirati numinis quaſi tentamento, irarum ſemen inter natum, matremque, Galliæ Reges. Qualem, Deus bone, is turbo tempeſtatem, quas hyemes eæ nubes portendebant? Occurrit ſuorum votis Deus: quamque ſolebat Coſmo mentem, pacandi terrarum orbis iniecit. Nihil moræ fuit. Eius labore potiſſimum, atque induſtria, innocenter tandem minax turbo ille detonuit. Neque vero huiuſmodi longe curis intentus Coſmus, domeſtica negligebat. Subiectos populos, creditamque

ditamque suæ prudentiæ ditionem, admirabili caritate, quæ parens est in rerum administratione, virtutum reliquarum omnium, non texit verius ille, quam fouit. Neque enim aptius ad incredibilem, suorum commodis assidue incubantem, diligentiam explicandam, vocabulum inuenio. Vni illi intentum curæ crederes. Adeo in eo cogitationes omnes defixerat, vt quos eius imperio populos subiecerat Deus, eos suo ipse labore, suis vigilijs subleuaret. In quo mihi vere Magni appellationem Ducis, si à maioribus hæreditariam non accepisset, suo sibi merito comparasse videretur. Quod vt magis ex sententia explicem, non ego fabulam, sed historiam narrabo. Hylas excellens Cæsaris Augusti ætate Pantomimus fuit: Is Pyladis, qui primus Romæ Pantomimicam fecit, discipulus, scenam, populumque Romanum, sæpe loquacibus illis, totius corporis motibus detinuit, quibus, sine voce fabulas agere, eo sæculo mos erat. forte, die quodam, canticum, spectante Roma, saltabat, cui finem hæ voces imponebant. *Agamemnona Magnum*. Horum significationem verborum, vt Hylas exprimeret; sublatis inuicem palmis, quasi sublimem procerumque metiri se, summis ad extremum pedum digitis elatus, simulabat. Erat inter spectatores Pylades magister, erratumque discipuli non ferendum iudicauit, Principis magnitudinem eo autore, illam accipi, quam vlna, & cubito metimur. Exclamauit ergo è cauea, reliquis tacentibus. Apage te Hyla. Longum tu quidem Agamemnona mihi facis; magnum non facis. Ea vbi vox insonuit; consentientis clamore populi in scenam vocatur Pylades, idemque canticum de integro saltare cogitur. Paruit necessitati Pylades. Iam ad finem spectabat canticum, in-

Macrob. lib. 2. satur. c. 7.

genſque erat populi expectatio, quo tandem potiſſimum geſtu, motuq; corporis Principis magnitudinem, cuius expreſſionem in diſcipulo reprehenderat, magiſter exprimeret. Tum ille, dum à tibicine, & ſuccinente puero, *Magnus Agamemnon*, exeunte iam cantico, nominatur; compoſitus in ſpeciem viri altiſſima cogitatione ſuſpenſi: gradum premit. hæret demiſſo modo, modo erecto capite, oculis abductis, immotoque obtutu defixis, conſertis pectinatim manibus, fronte nubila, ore cōpreſſo. Enimuero omnes theatri caueæ lætiſſimo plauſu perſonare. Hanc eſſe veram, ſcilicet Magni Ducis ſpeciē, qua ſecuris alijs, vnus ipſe, profunda cogitatione proſpicere exprimeretur. O verum, regnatoris orbis terræ, populi iudicium. O te beatam Etruria; quæ quod in Pylade fictum mirata olim Roma eſt, factum in Coſmo feliciſſime vidiſti. Nihil diuino illi viro à publicis cogitationibus, otij, publica caritas relinquebat. Viuere alijs meminerat, qui alijs præeſſet. Eorum neceſſitates ita toto pectore complexus erat, vt nemo ſe, eo viuente, orbum, nemo debilem, nemo mancum, ſenſerit. Ita ille omnia omnium munera neceſſitudinum explebat. Non eſt magnum quod dicam in Coſmo, quia vſitatum. Quod tamen maximum erit ſatis ſcio, vbi vbi gentium audietur. Quadraginta virorum, fœminarumque egentium millia, ſua ipſe ſtipe, liberaliter alebat. Mirati eſtis Auditores? Dicam amplius. vniuerſum pene, durioris annonæ tempore, ſuum imperium, effuſis, quos maiores collegerant, theſauris ſuſtentauit. Et quiſquam mihi eum Magnum eſſe dubitabit? Iouem quidem Deorum illum fabuloſorum Regem, maximum ea gratia dictum, ſapientiſſimi veterum docuere, quia is eſſet ad benefaciendum propenſiſſimus. Ex quo Iouis, hoc eſt iuuantis no-

men

men nactus esset. O te vere igitur, non Magnum, quod aequo timidior oratio mea initio proposuit, sed omnino Maximum Cosme: quia plane iuuandis hominibus natum. Quid ergo mirum si te, sibi sublatum, acerbissime non Etruria modo, sed Italia omnis, orbisque Christianus luxerit? Hic fructus scilicet est verae magnitudinis, Auditores: infixum cordibus, & caritati suorum, etiam mortuum viuere: neque vllis vnquam temporibus, aut famae hominum, aut beatae aeternitati intermori. Quam quidem tibi aeternitatem praeclara, Dux magne, in omne hominum genus merita, & eximia in Deum pietas peperere. Haec ego pauca de Cosmo Medice, Magno Etruriae Duce. Quem, si generis, imperijque magnitudo, & amplissimum, tum priuatarum, tum publicarum virtutum instrumentum; Ducem magnum non fecit: quid magnos faciat Duces neutiquam videre me, ingenue profiteor. Quae omnia quoniam COSMVS ad suorum vtilitatem reuocauit; extrema hac oratione, vno verbo colligam si dixero; suis eum vixisse, non sibi: ita nunc non sibi mortuum esse, sed suis. nisi quod suarum virtutum exempla FERDINANDO filio ita reliquit: vt parentem in illo nobis restitutum, iam nunc liceat, libeatque gratulari. Hanc enim vestrorum, tacitam videre mihi videor praesensionem animorum. FERDINANDVM Secundum Medicem, COSMI Secundi filium, non modo imperij, sed virtutum etiam paternarum haeredem certissimum futurum. Eum sane, non solum nomen, (quod faustum semper populis, in suis Regibus fuisse, tu quoque Mantua experimento tuo doces) sed auita vndique exempla, siue quae à MEDICEIS, siue quae ab AVSTRIACIS maioribus sunt, faustissimum orbi terrae

sidus

ſidus exortum eſſe, pollicentur. Ego ad extremum, ſi Cosmo Secundo tumulum, qua ſi immortalitatis aram, te volente ponam, Princeps Sereniſſime: in hunc modum inſcribam.

COSMO MEDICI II.
MAGNO ETRVRIAE DVCI IV.
Quem in ſumma generis, imperijq;
natum claritudine
nemo tamen niſi benefactis notum
habuit.
Vixiſſe nemo ſciret niſi de omnibus
benemerendo
viuere ſe omnibus teſtatus eſſet.
Lacrymas paras hoſpes? erras.
mortuum caue putes.
Neq; enim vnquam
aut Pietas moritur, aut Liberalitas.

Aras poſui, & dixi.



